



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1626**

De enthymemate. Capvt XXVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

quàm pretioso incumbat lecto, quam pellucido poculo bibat, sed quam bonus sit.

Hæc suaviter instillaqur, probantque simul, & delectant: tum si rerum, quæ inducuntur, magna sit multitudo, latissimum præbent campum orationis.

Talem inductionem inuenies apud Tertulianum, libro de pallio, cap. 2. ubi à cælo, elementis, hominibus, &c. probat omnia mutari.

Eiusdem generis sunt exempla, quorum usus frequens, probatio facilis, & efficax, nec impar delectatio, ut non immeritò dicatur longum iter esse per præcepta; breue, & efficax per exempla; & ut ait Petrus Diaconus apud D. Gregorium, dialog. l. 1.

*Exemplum vis.*

*In expositione virtutum, qualiter inuenienda, atque tenenda sit virtus agnoscimus. In narratione verò signorum cognoscimus inuenta, ac retenta, qualiter declarantur: Et sunt nonnulli, quos ad amorem patriæ cælestis plus exempla, quàm prædicamenta succedunt.*

In omni genere orationis hæc argumentatio plurimum valet. Nolim tamen quod plerique faciunt, multorum exemplorum farraginem afferre, sed delectu, & parcitate temperare.

#### De enthymemate.

#### CAPVT XXVIII.

**E**nthymemata, & epicheremata Rhetorum sunt iacula: Atque enthymematis quidem magnus est usus, cum præsertim omnes ingenij notiones, & sensa à Græcis vocentur enthymemata. Nec alia fuit mēs Alcidis, cum *ὀνομάτω*, & *ὀνομαζῶν ὑπορίαν* nominauit, inuentionum fecunditatem, sermonisque vberem facilitatem.

*Cic. in Topic.*

Magis acutè dicuntur Enthymemata, quæ sunt ex contrarijs conclusa, ut enim illa acutissima sunt, sic enthymematis nomen κατ' ἔροχιν sibi vendicant. At verò, nec pressius sumpta, nec latius vulgò vocantur enthymemata argumentationes ex propositione, & conclusione constata, ut insidiator fuit Clodius, igitur iusta nex homini illata.

Oratores qui circa hypothefes versantur, plerumque maiorem propositionem, ut notam, & communem omittunt, in minori verò tori sunt, & sic syllogismos traducunt ad enthymemata.

#### De epicheremate.

#### CAPVT XXIX.

**E**picherematis nomen, si ratio ipsius spectetur, omni argumentationi commune est, & Alexander quidem in Topic. li. 8. *ἐπιχρημα* ait esse syllogismum dialecticum. Valgius aggressionem vocat: Celsus autem iudicat non nostram argumentationis tractationem, & œconomiam, sed ipsam rem quam aggredimur, id est, argumentum, quo aliquid probaturi sumus, etiam si nondum verbis explanatum, iam tamen mente conceptum *ἐπιχρημα* dici. Verùm discrimen istud tenue est, & imbecillum, cum non inchoatas tantum, sed omni ex parte perfectas argumentationes epicheremata nominari constet. Usus obtinuit apud Rhetores, ut dicatur breuiter comprehensa ratiocinatio: cuius tres partes in vnius veluti propositionis corpus coalescant. Neque enim opus est omnia semper dilatare multis. Verbum intelligenti sat est.

*Epicheremata quid.*

#### De dilemmate.

#### CAPVT XXX.

**D**ilemma quod definitur à Suida, τὸ δίχως λαμβανόμενον πρόλημα, argumentum ab vtraque parte concludens aduersarium, plurimum ad confutationes valet, ut, Si improbus est, cur vteris? si probus, cur accusas? Ad hoc genus pertinent *ἀγτισρίφοντα*, quæ ex vtraque parte conuertuntur.

Aristoteles Rhetoric. l. 2. huiusmodi proponit exemplum;

Sacerdos quædam dissuadebat filio, ne quædo verba faceret ad populum. Nam si iniusta, inquit, iuaferis, Deos habebis iratos; si iusta, homines. Id hoc pacto retorfit adolescens, Imò expedit orationem habere apud populum, quandoqui dem si iusta dixeris, Dij me amabunt, si iniusta, homines.

Talis Protagoræ, & Euthli captio. Hic cum se illi in disciplinam Rhetorices tradidisset, grandi mercede pactus, ea lege, ut primo dicendi tyrocinio apud iudices euinceret, iam belle eruditus mercedem negat. Dicit illi Euthli dicit.

*Dilemma Aristoteli.*

*Dilemma Protagoræ.*

*Protagoræ Euthli dicit.*